Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2785
Quelle:
Copyright:



*ctoris prioris de Arbosio bisuntine dioc. oratio funebris pro Alberto Rege Romanorum florentie in generali ycomenico concilio habita incipit M. CCCC. XXXIX. die VII. mensis decembris.* Delegit sibi Orator thema illud *Thren.* 1. *Egressus est a filia Sion omnis decor eius*, orationemque partitus magnitudinem primum jacturae ostendere, dein solatium Patribus adhibere conatus est. Orditur vero: *Ego Patres Reuerendissimi amara uobis, luctuosa toti ecclesie, acerba bonis omnibus iam dicturus sum* &c. atque haec ex succisis cum *Alberto* spebus pacandae *Bohemiae*, liberandae a Turcis *Pannoniae*, et componendae Ecclesiae repetit. Academiam etiam *Vindobon.* ita adtingit: *Te enim diue cesar custos ingenii, virtutis et studiorum vnice fautor, te viennense studium tuum deplorat, vberes tibi iam profundit lacrimas. Vnum Albertum sublatum queritur, cuius auctoritate opibus beniuolentia coalescebat — in quo — duo prope milia Scolasticorum consecraueras philosophie et bonis artibus* &c. In parte altera erigere animos nititur a communi mortalitatis lege, a virtutibus *Alberti* et rebus gestis, unde ad laudes Stirpis *Austriacae* universae, quam ad *Jul. Caesarem* reducit, tum ad laudes *Sigismundi* soceri et *Alberti* IV. quem defunctus patrem habuit, digreditur, verba saepe ex *Cicerone* pro *Marcello* mutuatus, et Scripturae textibus loca Poetarum contemperans. Altum de hac Oratione, quae lucem certo mereretur, in *Actis Conc. Flor.* in *Odor. Raynaldi Hist. Eccl.* in *Struvii Corpore Hist. Germ.* fontium alioquin feraci silentium.

XVI. *fol.* 54. *Sermo factus et recitatus per magistrum petrum de castelleto ordinis heremitarum sancti Augustini in exequiis quondam illustrissimi domini domini Johannis galeatz vicecomitis ducis mediolani papie virtutumque comitis, atque bononie, pisarum, Senarum, et perusii domini in ciuitate mediolani et eius pallatio die XX. octob. hora XXI. anno domini 1402. Indictione quinta.* (10) Initium: *Heu princeps et magistratus heu presules et ingens senatus heu nobiles ac ciuium apparatus* &c. Extat impressus in *Murat. Scriptt. Rer. Ital.* T. XIV. p. 1021. et notat *Argelatus Bibl. Scriptt. Mediol.* T. I. P. 2. *col.* 341. utut phrasi *scholastica* exaratum aliis praelatum fuisse, quod Orator stirpem Ducis usque ad *Aeneam* perduxerit. De illo etiam *Ossingerus* in *Bibl. Augustin.* p. 217.

XVII. *fol.* 59. *Sermo factus in commemoratione depositionis quondam Serenissimi Principis Alberti Regis Romanorum Florentie.* 1441. Incipit: *Non cogitabam apud me princeps Illustris geminum dolorem ipsum hodierno die lugubriter esse deplorandum* &c. Perpetua paene est ad *Viennam*, quam *matrem vrbium mundi, matrem mestissimam, matrem serenissimam* adpellari audis, ἀποστροφη. De *animulo*, de *corculo* suo loquitur Orator, ut anum praeficam credas potius. Itaque vix mihi persuadeo